



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. XXXI. Dum oculos ad Virginis simulacrum facinorosus miles adijcit, Christum infantem sauciatum, & sanguine conspersum uidet. Vbi se repreßit; ei pia mater filij pacem conciliat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

MIRAC. VIRG. XXXI.

Dum oculos ad Virginis simulacrum facinorosus miles adijcit, Christum infantem sauciatum, & sanguine conspersum uidet. Vbi se repressit; ei pia mater filij pacem conciliat.

INhumanus miles, cui nulla erat religio, aut pietas, qui rapiebat, tundeat, prosternebat, qui diuinarum, humanarumq. legum erat contemptor: pia tamen uxoris hortatu, & precib. eo ebdomadae die qui Virgini dicatus est, ieiunare assueuerat. Vbi deinde in aliquam Virginis imaginem incidebat, eam Angelica impertiebat salute. Grauius scelus patraturus, & per sacratam aedem iter habens, ad Virginis picturam quandam oculos adiecit. Eam salutare incipiens, Christum infantem aspexit, qui vulneratus in matris sinu sanguinem effundebat. Matri se miles commendauit, in fidem, & tutelam ei se dedit, eam orans, ut animum filij molliret: ne in se iram ullam deriuaret. Tunc ipsa, uos o mortales, inquit, me misericordiae matrem appellatis: quotidie tamen flagitiorum uestrorum grauitate efficitis, ut aerumnarum, & aegritudinis mater miseris modis fiam; ut curis acerbis conscindar, moestitiam, & dolorem continenter superadditis. Ceterum, ubi aduersi aliquid uobis euenit, me aduocare festinatis. Tunc ipse dixit; ne tibi, o regina molestiam ullam hoc exhibeat; & sollicitudinem hanc, quae te affligat, ommitte. Redeat in mentem tibi, te mortalium aduocatam esse. dulcissimi tui nati animam blandis tuis precibus flectas; ut omnis ab eo ira decedat,

& me

& me propitiatus seruet. Tunc se se illa ad filiū conuertens, eum pro miseri salute maximopere rogauit. Respondit Christus, nollem, carissima genitrix, huius causam ageres, ne apud me frustra preces effundas. Etenim, dum & ego orauī patrem, ut, si fieri posset, à me mortis faeuissimae amarissimum calicem auerteret; illud minimè potuit impetrari. Sanctissima Virgo eundem precata est; ut secum in memoriam rediret, & reminisceretur eius temporis, quo à se tam amāter lactatus, quo à se prima mamma data est. Illud salua iustitia minimè fieri posse, ipse assererat; sed eadem acriter instabat, cupiens, ut filio iudice, non secū dum iustitiam, sed secundum misericordiam miles dilucide se expediret. Denuò commemorauit filius, à se iterum patrem obsecratum fuisse, ut crucis mortem transferret, sed minimè potuisse exorari. Neq. uerò clementiae regina iccirco precandi finem faciebat; ut aequo animo sibi filius adesset; ut, si quos ipsa dolores, ac labores tulerat, memoria fixos habebat, ille sibi condonaretur, ac dimitterentur eius noxae. Verum se non posse ei morem gerere, Christus aperte dixit; cuius preces, cum patrem ter deprecatus fuisset, minimè auditaē fuerunt. Tunc etiam clientis causam optima patrona agens, ac pro eo dicens, eius calamitatem sedare, animum planè induxerat. Filiū igitur, quem in sinu habebat, uoluit deponere; ut eius pedibus abiecta misericordia, & precibus ipsum leniret, illinc non prius recessura, quam data fuisset uenia militi. Id non tulit filius, cum & pietas iubeat, & matri maximus honos habendus sit. itaq. apud eū ira; cuius initium è militis flagitiis ortū erat, non amplius permansit.

conuuls

mansit,

mansit. Matris. n. precib. uictus quicquid à reo admiffum fuerat, dimisit. Ac ne miser animi penderet, ò mira pietas, eum ad se iussit propius accedere; ut pacis signo cruenta illa uulnera oscularetur. Post eius oscula, uulnera singulatim sanabantur. Praeclarè ille intelligēs, quàm eo die insignem misericordiam expertus esset, mirabili gaudio delibutus sc̄piterno regi, eiusq. matri gratias ingenteis egit. Atqui domum rediens, quaecunq. malè peperat, re ipsa illis persoluit, quos suo fraudauerat; & ipse in monachorum, uxor in sancti montialum coenobio nomen professi sunt.

MIRAC. VIRG. XXXII.

Indaeae pariturae, ac prae dolore mortem expectanti, implorata Virgine, salus offertur. editus ex illo partu filius à patre necatus, excusatur; paterq. se recipit.

OB pariendi difficultatem, ita dolores Iudaeae occiperant; ut iã è uita excessura esset. Christianarum mulierù hortatu se commédauit Virgini, qua cum, licet ferè morbi grauitate esset exanimata, hãc habuit orationē: ò Regina, etsi ego, quae te inuocem indigna sum, cùm sim ex illa gente; quae cruci natum tuum, omni misericordia relegata, crudelissimè fixit; tamen ubiq. constans fama est, te in illos etiam, qui atrocib., & inauditis scelerib. se contumnarunt, pietate, & clemētia uti. Si ergo adduci potes; ut ira, quam meritò graues noxiae meae conciuerūt, adiuro,